

possunt deficere, et non perseverare. Merita autem perseverantia usque ad finem aliquid includunt præter rationem debiti, et meriti, scilicet gratuitum donum perseverantiae ab ipsomet præmiante liberaliter collatum, et sine ipsa gloria etiam im præmium non datur: erga in ipsa collatione liberali talis doni, quæ est ultima conditio ad assequendam gloriam habet Deus sufficiens motivum gratuitum, et liberale ad intendendum dare gloriam efficaciter, et in re, quantumcumque merita supponat, aut ex tali voluntate derivari videat tamquam effectum voluntatis suæ, quia hoc gratuitum donum perseverantiae etiam ipsa merita afficit, ut de facto gloria exhibeatur, licet posita perseverantia, ipsa gloria in re, non gratuito, sed ut corona justitiæ reddatur meritis habentibus perseverantiam ex libertate Dei. Quod ex sequentibus ratione amplius confirmabitur.

VII. Secundo ergo probatur ex speciali modo providentiæ divinæ, quæ ita universalis est, quod nihil præsupponit ex parte creaturarum, sed omnia causat, et ita non solum dat gloriam, ut præmium, sed etiam dat merita ipsa, et virtutem ad meritum; quæ est gratia, quod non invenitur in rege creato dante aliquid in præmium, quia ad ipsum non pertinet dare merita, aut virtutem, et valorem merendi, sed supponere, et illis suppositis, ex debito tenetur dare præmium. Unde in ipso non est mirum quod intentio efficax dandi præmium non possit intelligi, nisi suppositis meritis, quia non potest agens creatum intendere aliquid efficaciter, nisi supponendo causas a quibus dependet res illa in esse, et non est in manu ejus tales causas ponere, sed aliquas debet supponere, et ex suppositione illarum, seu dependenter ab illis effi-

cacem habere potest voluntatem, quia est efficacia imperfecta, et dependens a causis, non summa, et a qua cæteræ causæ, et media dependent.

Cæterum Deus habet summam, et universalissimam providentiam, non dependentem ab aliquibus causis, et mediis, sed a qua omnes causæ, et media dependent: ergo etiam ab ipso dependet gloria ut finis, et corona, et merita quæ ordinant, et deservitur ad faciendum debitum illum finem, ita quod ipsum debitum non supponitur a Deo, sed causatur, ideoque ipse sibi constituitur debitor, non ab aliquo præsupposito obligatur: *Quis enim prior dedit illi, et retribuetur ei.*

Quare appositissimum exemplum ad hoc explicandum, et intelligendum est, si quis haberet triticum ad vendendum, et non vellet illud dare, seu vendere, nisi exhibita pecunia, tamen ipse etiam daret pecunias, et non nisi ab ipso habere eas possent illi qui emunt triticum: in hoc casu possessor tritici intendens vendere triticum ad vendendum, nihil aliud intenderet, in rei veritate, non videretur posse habere efficacem voluntatem dandi illud ante visam ipsam pecuniam, quia non nisi per illam movetur ad dandum triticum de facto, et in re: sed si ulterius intenderet vendere triticum pecuniis a se donatis ipsis emptoribus, certe necessarium erat in tali homine collocare motivum gratuitum, ex quo moveretur, et vellet exhibere tale triticum, quia si ipsemet debet dare pecunias, ut ematur a se, nec aliter potest emi, nisi ipse det pecunias, æquivalenter est donare triticum; et sic motivum ejus debet esse gratuitum, quo primo moveatur ad illud negotium, sicut cum Joseph fecit reponi fratribus suis pecunias quas detulerant ad emendum triticum in ore sacco-

rum, virtualiter, et æquivalenter voluit illis donare triticum ipsum, licet inter pecuniam quam dederunt, et triticum voluerit servari illam formam venditionis. Si ergo Deus vult dare gloriam ut coronam, et cælum ipsum proponit ut vænale, sed tamen totus valor quo illud emimus, et merita, et gratiam debet ipsemet donare, ita ut quando coronat merita nostra, non coronet nisi dona sua, ut Augustinus inquit, virtualiter vult donare cælum, quia intendit illud dare ex meritis, non quomodo cumque, sed dandis a se ipso. Ergo bene stat quod intendat efficaciter tamquam finem dat gloriam ut coronam, et ut præmium ex meritis, et tamen merita non se habeant ut motivum intendendi, sed ex gratuita voluntate intendat dare gloriam quasi ex motivo, quia licet in executione non nisi intuitu meritorum danda sit, tamen quia ista merita ex donatione Dei derivanda sunt, non potest intendere gloriam efficaciter, nisi ex motivo æquivalenter, aut superiori modo gratuito, quia vult dare gloriam ex meritis a se donandis, et consequenter, ut terminatur ad gloriam supponit motivum gratuitum proponendi illam ut per talia merita dandam; et sic respectu Dei omnis justitia, et omnis ratio debiti tandem debet reduci ad aliquod gratuitum, et ex sola bonitate seu dependens, quod est radix debiti et justitiæ, ut recte S. Thomas advertit 1 p. q. xxxi, art. iv. Et in hoc maxime fundatur, quod id quod Deus dat ut præmium, et debitum, habet radicem in aliquo primo motivo omnino gratuito, quia totum dat, et merita ipsa et præmium.

VIII. Formetur ergo sic argumentum: Gloria ut danda ex meritis a Deo donandis est objectum alicujus volitionis efficacis, et non procedit ex meritis tamquam ex motivo, sed

ex aliquo motivo anteriori, et superiori, licet in executione detur ex meritis: ergo ex motivo gratuito in ordine intentionis. Consequentia patet, quia non est aliquod motivum divinæ voluntatis, nisi vel ex debito, vel ex misericordia et gratis: ergo si in illo objecto volendo, et intendendo Deus non procedit ex meritis, ut ex motivo, non procedit ex motivo per modum debiti (nec enim est alia ratio debiti, quam ex meritis) ergo procedit ex motivo gratuito et misericordiæ. Major probatur, quia illud objectum est ponibile in re, et de facto obtinendum: hoc enim exprimitur dicendo: Gloria danda ex meritis a Deo donandis: sic enim in re ponitur, et de facto datur: ergo est objectum volitionis efficacis: illud enim est objectum efficacis voluntatis quod respicitur ut de facto ponendum. Minor vero probatur, quia licet ipsa gloria quando in executione datur de facto homini, detur illi intuitu suorum meritorum, tamen quando Deus vult illam exhibere ex meritis a se donandis, æquivalenter vult illam donare in effectu, et coronare dona sua: ergo debet uti aliquo motivo gratuito, licet habeat homini dare meritum; et sic ex parte sua Deus uti debet motivo gratuito ad efficacem volitionem illius objecti, prout comprehendit totum hoc, scilicet gloriam dandam ex meritis a Deo donandis, sicut qui haberet illam voluntatem: Volo triticum meum vendere pecuniis a me donandis, indigeret motivo gratuito, quo impelleretur ad sic volendum proponere de facto triticum suum: hæc enim voluntas etiam prout efficaciter tangit triticum, et exponit, et illa prout vult sic exponere gloriam, non potest moveri nisi aliqua ratione pure gratuita ex parte volentis.

IX. Dices: Movetur ipsa donatione gratuita meritorum: et sic prius

vult gratis merita donare, et eligere ad gratiam, inde vero vult gloriam intuitu meritorum, sed quia sunt merita donata a Deo, hoc refunditur in ipsammet gloriam, ut intelligatur dari gratis, et gratuito motivo in sua radice, quia radix ejus, quia est gratia, et merita inde orta dantur a Deo gratis, non vero quia ipsa in se efficaciter volita antecedenter ad merita.

Sed contra, quia illa gratuita donatio meritorum, et gratiæ datur a Deo determinate pro aliquo præmio in ordine ad quod dantur merita: nec enim dantur prius a Deo illa merita absolute, et sine respectu ad aliquod præmium, et postea Deus videns illa, assignat illis præmium, sed quando dat illa merita gratis, in ordine ad aliquod præmium determinatum, et donat et destinatur: ergo non potest illa gratia, et illud meritum esse efficaciter volitum, nisi supponat efficaciter esse volitum, et propositum in præmium id quod per tale meritum consequendum est. Patet consequentia, quia meritum datur isti in particulari potius quam illi, ut iste consequatur præmium potius quam ille (loquimur enim de electione ad gratiam, et ad merita, quæ est propria prædestinatorum, et discernit illos a reprobis) sed istud meritum datur ut efficaciter determinatum, et destinatum ad talem determinatam gloriam in isto subjecto, et non ad gloriam in communi: ad hoc enim non datur efficax voluntas: ergo non solum debet supponere gloriam esse volitam in communi, et secundum quod proponitur communiter reprobis, et prædestinatis, sed in particulari, ut pertinet ad istud subjectum in tali vel tali determinatione, et mensura: ergo non solum debet supponi gloria inefficaciter volita, et in communi ut proponitur reprobis, et prædestina-

tis, sed ut determinate, et efficaciter assequenda ab isto: sic enim est id ad quod destinatur, et determinatur tale meritum de facto. Non ergo movetur Deus ab ipsa donatione meritorum gratuita ad volendum istam determinatam gloriam huic subjecto, sed ante ipsam donationem meritorum debet supponi determinata gloria huic subjecto volita, si quidem merita donantur cum ordine, et destinatione ad illam, et non ad illam in communi, et ut inefficaciter est volita, et proposita reprobis, et prædestinatis: sic enim non consideratur ut assequenda, nec ut determinate dando, sicut debet considerari quando respicitur a meritis huic prædestinato datis, et ad assequendam gloriam huic subjecto destinatis. Ergo antecedenter ad merita habet Deus in se motivum volendi illam gloriam ut proponendam in præmium, et exhibendam de facto meritis a se donandis, sicut qui vult dare pecuniam suam ut ematur triticum a se, prius destinatur triticum ad vendendum, non vero movetur pecuniis a se donatis ad vendendum illud, quia pecuniæ eo intuitu dantur ut illis ematur triticum, alias non darentur: ergo prius est etiam Deum velle proponere cælum vanae isti, et in præmium care, etiamsi mereatur illud meritis a Deo donatis, et quia videt ex se merita non habere, movetur ad dandum ei gratis merita ut pretium emendi, et mendi cælum; non autem ipsius meritis movetur ad volendum cælum illi proponere, et dare vanae. Motivum autem quo proponitur aliquid emendum pecuniis ab ipso venditore donandis, vel meritis a præmiatore donandis, est motivum gratuitum, quia æquivalenter est dare gratis in ordine ad Deum, licet inter ipsum præmium, et meritum respectu hominis servetur fo-

ma justitiæ, ut supra dictum est disputatione sexta; ergo ex motivo gratuito antecedenter ad merita, et ad motivum ex debito movetur Deus ad intendendum efficaciter gloriam, et eligendum determinate istud ad illam.

X. Tandem ratio a priori hujus veritatis est ea quam tradit S. Thomas in præsentis quæstione, a. iv, et reducitur ad hanc formam: Merita quibus prædestinatus assequitur gloriam, serviunt ut media, quibus tenditur ad gloriam, ut ad finem: ergo debent esse provisa, et præparata a Deo, sicut media providentur, et præparantur ad aliquem finem. Hæc consequentia est manifesta; et antecedens non potest negari, quia merita non quærentur propter se, sed propter præmium, et præmium quod est merces meritorum est ultimum quo adepti cessant merita, et denique gloria ipsa est finis ultimus, et pertinet ad felicitatem ultimam, dicente Concilio Tridentino sess. vi, cap. vii, quod: « Finalis causa nostræ justificationis est gloria Dei, et Christi, et vita æterna, » ergo ipsa vita æterna exercet respectu gratiæ, et meritorum causalitatem causæ finalis, merita vero pertinent ad hanc viam, qua tendimus ad illam felicitatem, ut ad ultimum finem: ergo merita se habent ut media, quibus tendimus ad gloriam ut finem. Rursus est secunda consequentia: Quæcumque media eliguntur, et præparantur ad aliquem finem, oriuntur, et derivantur ex intentione, et volitione efficaci talis finis, nec sufficit inefficax: ergo merita quæ se habent ut media ad gloriam, ut ad finem, oriuntur, et derivantur ex intentione efficaci talis gloriæ, nec sufficit inefficax ejus voluntas: ergo antecedenter ad merita provisa, et præparata, et electa datur intentio efficax volitiva gloriæ; et sic ex mo-

tivo gratuito, quia si non est illud motivum in vi debiti, oportet quod sit in vi gratuiti. Hæc ultima consequentia manifesta est, quia si prærequiritur, et antecedit volitio efficax finis volitionem meritorum: ergo ante volitionem meritorum datur finis efficaciter volitus: ergo non possunt merita esse motivum illius volitionis finis, si quidem antecedit illa, nec finis intenditur propter merita, sed exhibetur in re propter merita: ad intendendum enim non requiritur titulus, sed ad dandum: ergo si intenditur efficaciter ante merita, efficax illa volitio non est ratione meritorum. Prima vero consequentia est manifesta ex antecedenti, quia merita, ut ostensum est, sunt media respectu gloriæ ut finis: ergo si omnia media supponunt efficacem volitionem finis, etiam merita eam supponunt. Antecedens ergo probatur. Media non possunt esse volita sine præcedente intentione aliqua finis: sic enim non essent volita per se ex intentione, sed casualiter, et per accidens: illa enim sunt casualiter, et per accidens volita, quæ non ex intentione alicujus finis, nec alicujus gratia fiunt. Nec sufficit quod iste finis sit inefficaciter volitus, sed debet esse volitus efficaciter, quantum est ex vi finis: nam finis inefficaciter volitus est ille cum quo bene compatitur frustratio effectus, et non electio mediorum, imo de se non inclinatur ad providenda, et eligenda media, quia de se non est volitus ut de facto ponendus; sed tantum per simplicem complacentiam amatur, solum autem movetur voluntas ad eligenda media pro aliquo fine, quando consideratur vel judicatur ut assequendus, sed nunc sufficit nobis, quod ille finis sit inefficaciter volitus, cum quo compatitur non electio mediorum, et frustratio assecutionis finis: ergo si

eligantur media, et consequantur effectus, non erit per se in virtute talis voluntatis finis, sed omnino per accidens, et casualiter. Patet hoc, quia illud sequitur per accidens ex aliquo, et non per se, quando cum illo æque bene compatitur sequi effectum, vel non sequi: sic enim non habet connexionem per se cum illo: ergo ut per se sequatur, et non per accidens, aut casualiter, indiget alia voluntate, seu alio principio habente connexionem per se cum tali effectu, seu electione: ergo indiget quod extrahatur a linea inefficacis volitionis, et transeat ad efficacem, eo modo quo finis efficaciam habet in sua linea ad movendum efficiens, quia quamdiu manet intra terminos inefficacis volitionis, quidquid ex illa sequitur, non per se, sed casualiter, et per accidens sequitur, quia æque bene oppositum stat cum illa voluntate, si quidem non habet per se connexionem cum illa.

XI. Urget amplius hoc argumentum in Deo, quia cum sit principium universalissimum omnium causarum, et effectuum, nihilque accidat sine ejus voluntate, si habet inefficacem voluntatem circa aliquem finem, ideo est, quia ejus assecutionem non vult; quod patet manifeste, quia illa est inefficax voluntas, quæ non habet effectum, nec de facto illum respicit, sed non habere effectum est ex aliqua ratione, et causa impediente, aut inducente oppositum: ergo hoc ipsum debet nasci ex voluntate Dei, quia sine ipsa nulla causa, et nulla ratio posset impedire aut inducere oppositum; habuit ergo Deus voluntatem ne fieret effectus: ergo non potuit intendere efficaciter ut fieret, nec ejus assecutionem velle, alias vellet duo contradictoria, scilicet assecutionem, et non assecutionem. Voluntas ergo inefficax non solum

in Deo est illa cum qua compatitur frustratio effectus, vel negatio electionis mediorum, sed etiam est illa, quæ de facto habet adjunctam voluntatem, ne fiat effectus, seu ut impediatur, aut si non habet adjunctam talem voluntatem: ergo vel vult ut de facto fiat, et non habet voluntatem impediendi; et sic nihil ei deest ut sit voluntas efficacax, vel abstrahit ab hoc quod est de facto fieri, vel non fieri, et solum habet simplicem complacentiam de bonitate objecti, qualem dicunt oppositi auctores habere de creaturis possibilibus. Si de facto habet adjunctam voluntatem ne fiat effectus, et ut impediatur: ergo si effectus fiat, et eligantur media, contra ejus voluntatem fit; et sic non solum erit præter ejus intentionem, et casualiter, sed etiam contra ejus voluntatem, quod repugnat. Si habet voluntatem ut de facto fiat, et voluntatem ut non impediatur, est voluntas efficacax, cum tendat ad effectum de facto sine ullo impedimento. Si abstrahit ab eo quod est de facto poni, vel impedi, aut non poni, et solum est simplex voluntas, sicut de possibilibus: ergo si ex tali voluntate sequitur electio mediorum, et effectus consequitur, non per se, sed casualiter, consequetur. Patet consequentia, quia volitio simplex non intendit consecutionem de facto: ergo si sequitur, per accidens ad illam voluntatem sequitur: illa enim non habet connexionem per se cum illo effectu, nec intendit consecutionem de facto, nec agit de illa: ergo si consecutio sequitur, præter illius voluntatis intentionem sequitur: ergo vel aliam voluntatem habet Deus intentivam hujus consecutionis per se, et efficaciter, et sic in illa habemus intentum, vel nullam habet intentivam hujus consecutionis; et sic effectus ille accidit casualiter, et per accidens res-

pectu Dei, quod nefas esset dicere. Quare hi auctores, qui solum ponunt inefficacem voluntatem finis sufficere, totam vero efficaciam constituunt in effectu futuro, et denominatione extrinseca, quæ inde resultat, consequenter ponunt efficaciam non nasci per se, id est, ex connexionem causæ, seu intentionis dirigentis cum effectu, quia finis ille sic inefficaciter volitus non magis connexionem habet cum positione effectus, quam cum opposito: solum ergo efficaciam sumitur ex eventu secuto ex parte effectus, non ex connexionem per se cum directione causæ, sequitur ergo per accidens.

XII. Mirum est quantum hoc argumentum torqueat adversarios. Et primo occurrit Molina I p. q. xxiii, a. v, disp. I, membr. vii, §. Ad fundamentum, dupliciter. Primo, quod licet in his qui ordine quodam voluntatem finem, et media, prius velint finem, quam media, in Deo tamen non ita contingere, sed simul velle finem, et media, præsertim in hac materia prædestinationis. Secundo, occurrit, cum qui vult finem, non sibi, sed alteri, non prius velle illum absolutam voluntatem, quam prævideat merita ejus, et media quibus perventurus est ad illum: qui enim vult alicui præmium, potest quidem prius velle illud voluntate conditionata, alteri si ille merita habuerit, non tamen potest absolute, et efficaciter velle illi præmium, nisi visis ejus meritis. Et qui vult operario denarium diurnum per modum mercedis dare, potest quidem prius quam ejus laborem videat conditionate velle dare mercedem si ipse laboraverit, sed non absolute, nisi viso labore.

XIII. Secundo, p. Vasquez hausit hanc secundam solutionem Molinæ; respondet enim disputatione illa lxxxix, c. xiii, quod ad assequen-

dum finem sibi prius habet quis voluntatem efficacem circa illum, quæ est prior omni voluntate mediorum. Ad volendum autem finem alteri, non est necesse quod præcedat voluntas efficacax, et absoluta de fine, sed sufficit quod præcedat simplex desiderium de tali fine, tamen absoluta, et efficaci voluntate non decernit finem dare, nisi prævisis meritis, vel mediis talis hominis ad finem, sicut patet in eo qui proponit præmium certantibus, qui etsi desideret amicum aliquem victorem evadere, et ei ob hoc tribuat meliora arma, aut instrumenta, quam alteri, non tamen absolute, et efficaciter decernit dare illi præmium in ratione præmii quam postquam victoriam ejus spectaverit. Similiter qui vult filium suum doctorem evadere, potest ex illo desiderio moveri ad hoc ut ei præbeat studiorum subsidia, non tamen illud primum desiderium in patre efficacax est, quia non subest ejus potestati filium doctorem evadere; imo addit Vasquez quod voluntas Dei erga prædestinatos ante prævisa merita etiam in ratione simplicis affectus non est major erga prædestinatos, quam erga reprobos, sed omnibus æqualis est, nec vult illis nisi gloriam ex vi illius affectus, talem vero, vel tantam gloriam solum vult juxta mensuram gratiæ, et meritorum. Et sic ex æquali voluntate simplici, et inefficaci circa gloriam movetur Deus ad danda feliciora auxilia prædestinatis quam reprobis, et meliora merita, et ibi incipit discriminari voluntas, et esse major circa prædestinatos.

XIV. Tertio, p. Arrubal hic disp. lxxxiii, c. I, respondet volitionem mediorum non subordinari necessario voluntati efficaci ipsius gloriæ, sed ex alio fine posse procedere, scilicet ex amore quem Deus habet ad se, ratione cujus vult dis-